

Sed contra est, quod sicut in præmissa definitione (art. præced., in argum. Sed contra) characteris continetur, character imprimitur animæ rationali secundum imaginem. Sed imago Trinitatis in anima attenditur secundum potentias. Ergo character in potentiis animæ existit.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. præced.), character est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea, quæ sunt divini cultus. Divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit. Ad actus autem proprie ordinantur potentia animæ, sicut essentia ordinatur ad esse. Et ideo character non est sicut in subjecto in essentia animæ, sed in ejus potentia.

Ad 1 ergo dicendum, quod subjectum alicui accidenti attribuitur secundum rationem ejus ad quod propinque disponit, non autem secundum rationem ejus ad quod disponit remote vel indirecte. Character autem directe quidem et propinque disponit animam ad ea quæ sunt divini cultus exequenda; et quia hæc idonee non fiunt sine auxilio gratiæ (quia ut dicitur Joan. 4: Eos qui adorant Deum, in spiritu et veritate adorare oportet), ex consequenti divina largitas recipientibus characterem largitur gratiam, per quam digne impleant ea ad quæ deputantur. Et ideo characteri magis est attribuendum subjectum, secundum rationem actuum ad divinum cultum pertinentium, quam secundum rationem gratiæ.

Ad 2, dicendum, quod essentia animæ est subjectum potentia naturalis, quæ ex principiis essentia procedit. Talis autem potentia non est character, sed est quædam spiritualis potentia, ab extrinseco adveniens. Unde sicut essentia animæ, per quam est naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter vivit, ita potentia naturalis animæ perficitur per spiritualem potentiam, quæ est character. Habitus enim et dispositio pertinent ad potentiam animæ, eo quod ordinantur ad actus, quorum potentia sunt principia. Et eadem ratione, omne, quod ad actum ordinatur, est potentia tribuendum.

Ad 3, dicendum, quod sicut dictum est (in corp. art.), character ordinatur ad ea, quæ sunt divini cultus. Qui quidem est quædam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet quod character sit in cognitiva potentia animæ, in qua est fides.

COMMENTARIUS.

In corpore articuli docet D. Thomas characterem esse in potentia animæ, quia ordinatur ad cultum Dei, qui in actibus consistit; ad actus autem potentia proxime ordinantur; ergo etiam character erit proxime in potentiis. In solutione vero ad 3, explicat D. Thom. hanc potentiam, in qua character residet, esse intellectum, in quo est fides. Sed hæc doctrina D. Thomæ magnam continet difficultatem, et ideo in sequenti disputatione latius discutienda est.

DISPUTATIO XI.

DE NATURA, AC NECESSITATE CHARACTERIS.

In præcedentibus disputationibus dictum est de effectibus gratiæ sanctificantis, qui sub aliqua ratione generales sunt, et communes omnibus sacramentis; sequitur, ut dicamus de quodam effectu, qui, licet sit proprius sacramentorum novæ legis, non tamen est omnibus communis, qui dicitur character, de quo videndum est, an sit, et quid sit, et inde facile constabit, quas proprietates, effectus, ac utilitates habeat.

SECTIO I.

Quænam sacramenta characterem imprimant.

1. *In sacramentis veteris legis nullus fuit spiritualis character.* — Ut ab his, quæ sunt clariora, incipiamus, primum omnium certum sit, in sacramentis legis veteris et naturæ non fuisse aliquem spiritualem characterem animæ impressum. Ita docet D. Thomas hic, art. 1, ad 3, et cæteri Theologi, et colligitur ex Chrysostomo in verbis illis nuper citatis ex Homil. 2 in ep. ad Ephes. : *Obsignati sunt et Israelitæ, sed circumcissione, quemadmodum pecudes.* Ubi sentit, illud signaculum fuisse tantum corporale, et non spirituale. Ratio vero est, quia in illis sacramentis per se nullus spiritualis effectus conferebatur per modum operis operati, ut supra dictum est; et, si interdum gratia dabatur, erat solum ob necessitatem parvulorum, quibus non erat necessarius character, sicut nec adultis. Præterea ratio sumi potest ex characterem, ut per illum deputantur homines ad cultum Dei. Nam in lege naturæ hic cultus non erat de-

terminatus, etiam quoad cæremonias externas, sed arbitrio hominum determinabatur, et ideo non oportebat aliquo speciali characterem divinitus infuso designari homines ad hujusmodi cultum, sed per fidem vel charitatem satis determinabantur. In lege autem veteri, quamvis cultus esset determinatus quoad externas cæremonias, tamen nullam habebat spiritualem virtutem, et ideo non oportebat imprimi characterem spiritualem. Nam ad deputandum illum populum ad usum passivum (ut sic dicam) sacramentorum illius legis, sufficiebat corporalis character circumcissionis, ut Chrysostomus dixit. Ad usum vero activum, qui convenit sacerdotibus, sufficiebat externa consecratio, præter carnalem originem ex Levi, per quam distinguebatur tota Levitica tribus a reliquis. Nam sicut in illis sacerdotibus non erat proprie potestas ad spirituales effectus, ita nec illis fuit necessarium spirituale signaculum. Solus Scot., 4, d. 6, quæst. 9, inter Scholasticos, docuit, per circumcissionem impressum fuisse characterem. Gab. ibi, quæst. 2, art. 35, dub. 5, dicit, neutrum probari posse. Tamen hoc ipsum satis esse deberet, ut nemo affirmaret, circumcissionem impressisse characterem, quia, cum sit effectus supernaturalis, et nulla auctoritate, vel satis probabili ratione ostendi possit, non est pro libito confingendus; præterquam quod ratio facta, et auctoritas Chrysostomi et D. Thomæ satis contrariam partem persuadeant.

2. *Sacramenta novæ legis non omnia characterem imprimunt.* — *Prima objectio.* — *Secunda.* — *Responsio.* — Secundo statuendum est pro certo, non omnia sacramenta novæ legis imprimere characterem, nam quatuor ex illis, scilicet Eucharistia, penitentia, extrema unctio, et matrimonium, characterem non imprimunt. In hoc conveniunt omnes Theologi. Et colligitur ex Conciliis Trident. et Florent. Quia licet expresse non negent, hæc quatuor sacramenta imprimere characterem, tamen dum de tribus aliis affirmant, de aliis tacite negant; maxime, quia dicunt inde habere alia sacramenta, ut iterari non possint. Unde sumitur a posteriori ratio. Nam hæc quatuor sacramenta iterabilia sunt; ergo non imprimunt characterem. Præterea, cum character sit res supernaturalis, et valde occulta nobis, ubi non cogit sufficiens auctoritas aut evidens necessitas, ponendus non est. Quod autem hæc quatuor sacramenta characterem imprimant, nulla

auctoritas docet. Necessitas nulla est. Quia per ea non deputantur homines specialiter ad cultum Dei, sed tantum sunt ipsa quidam speciales actus divini cultus, ordinati ad speciales effectus, ut pœnitentia ad remissionem actualium peccatorum; Eucharistia ad nutritionem charitatis, quæ hoc etiam habet speciale, quod non solum non ordinatur ad alia sacramenta, verum potius cætera ad ipsam, ut ad finem referuntur. Similiter extrema unctio instituta est ad juvandum et purificandum hominem (ut sic dicam) in mortis periculo constitutum. Unde ordine executionis dici potest ultimum sacramentorum omnium. Matrimonium denique ordinatur ad juvandos homines in oneribus matrimonii. Unde non characterem indiget, sed gratia et auxilio. Objici vero potest, quia inter congruentias seu utilitates characteris, quas Theologi afferunt, una est, quia congruum est, ut sacramenta a nullo recipiantur, quin habeant in illo aliquem effectum, etiam si ipse obicem ponat; ergo oportet, ut omnia efficiant characterem, quia, cum non conferant gratiam homini ponenti obicem, si nec characterem imprimerent, nullum effectum in eo haberent. Altera conjectura est, quia oportet, ut disponant subjectum ad recipiendum formam perfectam, qualis est gratia. Hæc autem duplex congruentia in prædictis quatuor sacramentis locum habet. Propter hanc rationem quidam Theologi antiqui dixerunt hæc sacramenta, quamvis characterem non imprimant, efficere tamen ornatum quemdam, qui est dispositio ad gratiam. Sed hæc sententia in superioribus rejecta est, quia nullum habet fundamentum, neque in Scriptura, nec in Patribus, nec explicari potest quæ sit necessitas, vel ratio, aut finis fingendi hujusmodi ornatum. Nec illæ congruentiæ veræ sunt. Nulla enim est necessitas, quod omnia sacramenta conferant aliquid homini etiam ficto. Nec gratia indiget alia dispositione præter eam, quæ in actibus hominis consistit, nec propter has causas ponitur character, ut jam dicemus.

3. Quæstio ergo superest de aliis tribus sacramentis; hæretici enim negant etiam per illa sacramenta imprimi characterem; ita tenuit Witleph., ut refert Walden., tom. 2 de Sacram., c. 109, et idem docent omnes hæretici hujus temporis, Luther., Calv., et alii. Scholastici vero quidam verbis admittunt characterem, re tamen negant, ut de Durando videbimus sect. seq. Alii dubitare

videntur, ut Scot. et Gabr. supra citati, quia vix inveniunt firmum fundamentum ad ponendum characterem. Alii denique murmurant esse rem novam, ut Cajetanus hic.

4. *Quæ sacramenta characterem imprimant.* — Dicendum vero est, hæc tria sacramenta, baptismum, confirmationem, et Ordinem, imprimere in anima characterem. Est de fide definita sub his terminis in Concil. Trident., sess. 7, can. 9, de Sacram. in genere, et in Concil. Florent., in decreto Eugenii, et de baptismo idem docuit Innoc. IV, in c. Majores, de Baptismo. Et habetur etiam ex illo generali dogmate, Ecclesiam Romanam, veram et infallibilem doctrinam de sacramentis profiteri, ut traditur in c. *Ad abolendam*, de Hæreticis, et in Concil. Trident., sess. 7, can. 3, de Baptismo. Sed Ecclesia Romana universa conspirat in hac veritate, quod prædicta sacramenta imprimunt characterem; ergo est certa de fide, et credendum est, manasse ab Apostolica traditione, per quam Romana Ecclesia in fide edocta est. Non enim definit Ecclesia res novas per novas revelationes, sed quæ in Scripturis, vel Apostolicis traditionibus continentur. Potest autem hæc veritas probari ex illis Scripturæ locis, 2 ad Corint. 4, ad Ephes. 4 et 4, quæ in comment. art. 4 et 3 explicata reliquimus. Nam licet per se non cogant, tamen supposita traditione Ecclesiæ, et veritate characteris, verisimile est, Paulum usum fuisse verbo signandi, propter characterem, et in locis ad Ephes. videtur specialiter loqui de characterem baptismi, ut vidimus. In loco vero ad Corint. videtur specialiter loqui de sacramento confirmationis, ut patet ex omnibus illis verbis: *Confirmavit nos Deus, unxit, signavit et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Atque ita exponit Ambrosius, l. de His qui initiantur, c. 7, in fine, et aliqui ex expositoribus. De characterem vero Ordinis nullum invenio Scripturæ locum, in quo satis insinuetur, nam illud 4 ad Timothæum 4: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, per impositionem manus presbyterii;* et 2 ad Timothæum 4: *Ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum;* hæc (inquam) loca sufficienter intelliguntur de gratia gratum faciente.

5. *De baptismo. — De Ordine. — De confirmatione.* — Secundo probari potest hæc veritas ex modo loquendi SS. Patrum. Nam in primis sæpe vocant baptismum, signaculum et sigillum, quia hominem consignat et quasi

sigillat per characterem; sic loquitur Basil., lib. de Spiritu Sancto, cap. 42, ubi dicit, quod baptismum consignat pactum nostrum. Et Homil. 43, quæ est exhortatio ad baptismum, agens de non baptizatis: *Characterem (inquit) sacro carentibus, os aciemque intentat, scilicet divinus gladius; et infra: Nisi characterem in te agnoscat Angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit, quomodo (inquam) dices, Dei sum, signa non ostendens? An ignoras, quemadmodum signatas domos in Ægypto exterminator præterit? Thesaurus non obsignatus furibus facile patebit. Ovis item absque nota insidiis protinus est obnoxia;* et Nazianz., orat. 40 in S. Baptismo, dicit, baptismum esse lavacrum, quia abluat, sigillum vero, quia est significatio et conservatio dominationis; et Cyril. Hierosolym., in præfatione Catech., vocat baptismum: *Vestimentum candidum, et signaculum sanctum, et indelebile.* Utrumque autem casualiter est intelligendum. Quia et confert indumentum gratiæ, et signaculum characteris. Unde Cateches. 3, in principio, sic loquitur ad Catechumenos: *Spiritus Sanctus obsignabit animas vestras, deligendi estis in militiam magno regi, itaque parate vos, et instructi estote:* et Catech. 4, c. de Spiritu Sancto: *Spiritus Sanctus (inquit) tempore baptismi animam tuam obsignat;* et Catech. 46, non longe a fine, loquens de Spiritu Sancto: *Hic (ait) ad hodiernam usque diem obsignat animas in baptismo.* Sic etiam Epiph., hæc. 8, post med., et hæc. 20, circa fin., dicit, baptismum circumcidere nos a peccatis, et consignare nos in nomen Dei. Damasc., lib. 4, cap. 40: *Per baptismum (inquit) regeneratio, signaculum, præsidium, et illuminatio nobis efficitur.* Præterea ex Latinis, Augustinus multis in locis characterem nominat: ep. 23, post med.; et 50, circa fin., inquit: *Non facio injuriam characteri imperatoris, cum errorem corrigo desertoris.* Idem, lib. 2 contra litter., Petil. c. 43, comparat characterem cum militari signo. Idem in eodem lib., c. ult., et lib. 4, contra Crescon., c. 3, et lib. 2, contra Gaud., c. 4, ubi vocat regium characterem; lib. 6, de Bapt., c. 4, vocat Dominicum characterem; tr. 5 et 6 in Joan.: *Si baptizatus (inquit) charitatem non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur.* Præterea d. l. 2 contra litter. Petil., c. 43, et in serm. de Gestis cum Emerit., præter characterem baptismi facit mentionem characteris Ordinis; et hac ra-

ratione, l. de Bono conjug., c. 24, dicit, sacramentum Ordinationis manere, etiam si quis ob culpam ab officio removeatur. Optima etiam sunt de hoc characterem verba Gregor. Nyss., lib. de Bapt., non longe a principio: *Sacerdos post consecrationem, quod ad externam speciem attinet, idem est, qui antea; invisibili tamen quadam vi ac gratia invisibilem animam transformatam gerit in melius.* Denique de characterem confirmationis afferri potest Cyprianus in serm. de Ablut. ped., ubi confirmationem æquiparat baptismum, in hoc, quod est sacramentum æque initerabile, ratum, ac firmum. Sic etiam Augustinus, l. 2 contra litter. Petil., c. 404, dicit, *sacramentum Chrismatis semel datum permanere etiam in pessimis*, quod necesse est intelligi ratione alicujus effectus, alioqui etiam sacramentum extremæ unctionis semel datum potest dici manere etiam in pessimis. Præterea Hieron., circa illa verba 2 ad Corint. 1: *Qui unxit nos Deus*, ait: *Spiritu Sancto vel Chrismate.* Et qui signavit nos; illud (inquit) signatur, quod aliquid intrinsecus continet pretiosum. Cyril. denique Hierosol. cum in d. Catech. 3 dicit: *Spiritus Sanctus obsignabit animas vestras, deligendi estis in militiam magno regi*, in priori particula videtur intelligere characterem baptismi, in posteriori vero sacramentum confirmationis. Quoniam vero hæc omnia testimonia non videntur cogere, ideo Scot., d. quæst. 9, dicit facile exponi posse, ipsamet sacramentum baptismi, verbi gratia, esse characterem, et ideo concludit, sola Ecclesiæ auctoritate nos cogi ad ponendum characterem. Sed quamvis verum sit, Ecclesiæ auctoritatem habere præcipuas partes in hoc negotio, tamen ea supposita intelligimus, mentem Sanctorum fuisse in eadem significatione de characterem loqui, et sine dubio multa ex dictis Sanctorum melius prædicto modo intelliguntur.

6. Tertio, ratio hujus veritatis a priori est institutio et voluntas Christi, qui potuit hanc vim tribuere his sacramentis. Congruentia vero, seu moralis necessitas, sola illa adduci potest, quam D. Thomas, art. 4, exposuit, quæ sigillatim his tribus sacramentis in hunc modum applicanda est. Primo enim per baptismum ita deputatur homo et consecratur ad cultum Dei, ut fiat membrum Ecclesiæ Christi, et distinguatur ab illis, qui nullo modo sunt Christo conjuncti; ergo oportet aliquo speciali signo Christi consignari, et hunc vocamus characterem. Dices, sufficere fidem

per baptismum infusam, nam illa etiam dici potest signum consignans Christi membrum, et distinguens ab infidelibus; sic enim Ps. 4, dicitur: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Unde Ambrosius, l. de His qui initiantur, c. 7, tractans illud Cant. 8: *Pone me, ut signaculum in corde tuo, ut signaculum (inquit) quo fides tua pleno fulgeat sacramento;* et clarius Dionys., de Eccles. Hierar., c. 2, part. 3, dicit, *accedenti ad baptismum Deum lumen suum perinde atque signum aliquod tradere, sanctum efficiendo, et sanctorum participem.* Respondetur tamen, fidem non posse habere perfectam rationem hujusmodi signi, tum quia interdum baptizatus non accipit fidem, et tamen manet sigillatus signo Christi; tum etiam quia licet prius fidem accipiat, et postea amittat, signum tamen Christi retinet; tum denique quia character baptismalis non est quaecumque signum, sed quo fit homo capax aliorum sacramentorum; Christi fides autem non est hujusmodi signum; Catechumenus enim fidem habet, et tamen nondum est capax sacramentorum Christi, donec baptizatus sit. Propter quod Concil. Florent. vocat baptismum, januam sacramentorum; nemo enim potest confirmari, nisi prius fidem in baptismo sit professus. *Quomodo enim designabitur miles Christi, qui nondum est Christo consignatus per baptismum?* ut ait Clemens Papa, in Epist. 4, post medium. Et eadem est ratio de sacramento Ordinis, ut constat ex c. Si quis, et c. Veniens, de Presbytero non baptizato, quia non est aptus, ut consignetur in principale membrum et pastorem Ecclesiæ, qui nondum est in membrum Ecclesiæ designatus. Et simile est de Eucharistia. Non enim aptus est, ut nutriatur, qui nondum est genitus. Quod significatum fuit, ut scribit Basilus, Homil. 43, in Israelitico populo, qui neque aquam de petra bibere, nec coelestem panem manducare voluit, donec mare pertransiit. Sic etiam, inquit, *nec tibi aliquis veram potionem, nisi vere baptizato præbebit; quomodo enim tu viventem comedes panem, nisi sumpto prius hoc sacramento?* Atque hæc ratio facile eadem proportionem procedit in characterem Ordinis; nam per illum singulari modo deputatur homo in cultum Dei, et distinguitur a cæteris Ecclesiæ membris tanquam proprius minister Christi participans speciali modo sacerdotium ejus, et potestatem accipiens ad sacramenta divina ministranda ex officio; ergo valde conveniens est, ut speciali

quadam nota ac signo consecratur, qui sic ordinatur. De confirmatione vero non videtur æque procedere hæc ratio, quia per illam non videtur dari potestas ad recipiendum vel dandum aliquid, sicut in prædictis duobus sacramentis. Nihilominus dicendum est characterem confirmationis dari, tanquam signum militare; nam in sacramento confirmationis constituitur homo, veluti Christi miles ex officio destinatus ad profitendam publice Christi fidem, et pugnandum pro illa, et ideo speciali Christi caractere insignitur; legatur Scot., in 4, d. 6, quæst. 40, § Sed restant duo dubia, ubi totam hanc rationem et sufficientiam triplicis characteris egregie declarat. Accedit, quod propter hanc causam hoc sacramentum iterari non potest, sicut neque baptismus, neque Ordo, quod est signum characteris impressi; nam hinc habent hæc sacramenta, quod iterari non possint, ut Concil. Trident. expresse dixit. Neque obstat, quod Gabr. et alii Scholastici objiciunt, quod divina institutio posset esse sufficiens sine caractere, ut hæc sacramenta iterari non possint, sicut consecratio Ecclesie vel calicis iterari non potest, quamvis nullam qualitatem intrinsecam imprimat. Hæc enim ratio solum ostendit, characterem non fuisse necessarium de potentia absoluta ad hunc effectum, quod nos fatemur. Fieri enim possent omnia supra dicta per extrinsecam denominationem et moralem habitudinem vel deputationem. Tamen non est dubium, quin perfectiori modo fiant per internum spirituale signum, quod et ad ornamentum animæ et ad perfectam consecrationem conferre potest. Hanc ergo perfectionem voluit Christus suis cultoribus conferre.

7. Sed dubitabit aliquis, an hæc tria sacramenta principaliter sint instituta propter hunc effectum characteris, vel propter effectum gratiæ, nam D. Thomas hic, art. 4, ad 1, indicat, primario esse propter characterem, qui directe ordinatur ad ea exequenda, quæ sunt divini cultus. Et quia hæc (inquit) idonee non fiunt sine auxilio gratiæ, ex consequenti divina largitas recipientibus characterem largitur gratiam, per quam digne impleant ea, ad quæ deputantur. Verum D. Thomas eo loco non loquitur de sacramento, sed de caractere, et solum docet, characterem non esse dispositionem ad gratiam, sed esse facultatem operandi, cui adjungitur gratia, ut operatio convenienter fiat. Unde Soto, dist. 4, q. 4, art. 4, generaliter dicit, omnia sacramenta

principaliter ordinari ad dandam gratiam, quam characterem, quia principaliter instituta sunt, ut medicinæ peccatorum, quod faciunt infundendo gratiam. Quanquam in his sacramentis, quæ characterem imprimunt, ex consequenti ordinetur gratia per divinam providentiam ad bonum usum ipsius characteris. Unde ulterius addit, ea sacramenta, quæ characterem imprimunt, si subjectum non ponat obicem, prius natura dare gratiam, quam characterem, quia character consequitur fidem; est enim signum sanctæ communionis fidei; fides autem per se loquendo consequitur gratiam, ad quam comparatur, ut potentia ad essentiam; licet ex accidenti contingat dari fidem mortuam sine gratia. Mihi tamen sub distinctione videtur dicendum, in primis, baptismum principaliter esse institutum propter gratiam gratum facientem, scilicet ad spiritualem regenerationem, et remissionem peccati originalis; consequenter vero illi datum esse, ut sit janua ad ingrediendum Christi Ecclesiam, et participanda alia ejus sacramenta. Et propterea datam esse illi virtutem ad imprimendum characterem. Atque simili ratione confirmatio, quæ est veluti complementum baptismi, instituta primario est ad conferendam plenitudinem Spiritus Sancti et abundantiora auxilia, quibus homo constantior fiat ad confitendam fidem; consequenter vero datum est illi, ut characterem imprimat, quo milites Christi designantur. At vero in sacramento Ordinis e converso dicendum videtur, per se primo esse institutum ad dandum spiritualem potestatem ordinis, quæ datur per impressionem characteris, gratiam vero dari in illo sacramento ad digne exercendos actus illius potestatis. Nam licet gratia secundum se perfectior sit, tamen in hoc sacramento datur propter officium seu ministerium sacerdotale. Neque est generaliter verum, quod Soto dicit, sacramenta esse instituta, ut sint medicinæ peccatorum, si sermo sit de effectu, ad quem proxime instituitur unumquodque sacramentum; quod apertius, quam in aliis, constat in sacramento Ordinis; proxime enim non ordinatur ad remittenda peccata eorum, quibus confertur, sed ad constituendos illos ministros sacramentorum; et quia per hos ministros remittuntur peccata, ideo mediate et remote ordinatur hoc sacramentum ad medicinam peccatorum. Igitur proximus finis et effectus ejus non est dare gratiam remittentem peccata, sed propriam formam constituentem

SECTIO II.

Utrum character sit qualitas supernaturalis ab anima et potentiis ejus distincta.

4. Variæ sunt Theologorum opiniones. Prima est Durand., in 4, d. 4, q. 4, qui sentit, characterem solum esse relationem rationis, seu denominationem extrinsecam, per quam ex institutione divina deputatur aliquis ad sacras actiones. Fundamentum ejus est, quia hoc sufficit ad quemcumque finem characteris et facile intelligitur absque obscuritate; alia vero omnia sunt obscurissima, et difficiliora reddunt mysteria fidei. Hæc vero sententia Durandi potuit fortasse suo tempore sine hæresi sustineri, quanquam non sine temeritate, cum non solum esset contra cæteros Theologos, sed etiam contra Innocent. IV, in c. Majores, de Baptis. ubi ita concludit: *Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*. Nunc vero non potest hæc opinio ab errore in fide vindicari, propter definitiones Concil. Florent. et Trident., quæ docent, characterem esse spirituale signum animæ impressum. Quæ non possunt ullo modo convenire relationi rationis, aut denominationi extrinsecæ, quia hæ nec sunt aliquid spirituale, neque animæ inhærent, nec imprimuntur; nam hoc aperte significat actionem realem, quam Innocent. vocavit sacramentalem operationem. Dicendum ergo est sine dubio characterem esse rem aliquam vere ac realiter existentem et intrinsece in anima inhærentem. Quod confirmatur contra Durand., quia alias non magis imprimeret characterem sacramentum Ordinis in lege nova, quam sacerdotalis consecratio in lege veteri, quia etiam ibi fiebat deputatio extrinseca, et consequenter significatio aliqua, et relatio rationis. Et simili ratione non magis imprimeretur character homini cum ordinatur, quam calici cum consecratur; quæ omnia et similia, quæ facile inferri possunt, manifeste pugnant cum doctrina Catholica, in præcedenti sectione tractata. Denique hæc Durand. sententia nihil in re differt a sententia hæreticorum, quam Concilia voluerunt directe damnare. Fundamentum vero Durand. valde frivolum est, quia non semper videntur nobis clariora, sunt veriora, præsertim in rebus fidei; sed quæ sunt magis consentanea Ecclesiasticæ doctrinæ et traditioni; eo vel maxime, quod in hac doctrina de cha-